



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. CXXXI. Romana fideicommissi de Coronis. An & quando sub
fideicommisso veniant prælegata facta eidem hæredi gravato, seu legata
facta aliis effecta caduca, seu cadentia sub caducitate pœnali, Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

quam habemus circa fideicommissi universalitatem, ut in proposito fideicommissi particularis resultantis nec ne ab huiusmodi particularibus provisionibus circa aliqua bona, advertitur supra in duobus discursibus proximè precedentibus.

De alijs mobilibus usualibus actum non fuit, cum stante lapsu 17. annorum, præsumantur consumpta ex usu qui hæredi gravato conceditur, quoties non constet de illorum venditione, quo casu intrat obligatio ad pretium, ex deductis per Peregr. art. 10. num. 40. Gregor. & adden. dec. 285. nu. 3. & 4. Rota dec. 530. & 535. par. 5. rec. & frequenter, cum id habeamus in foro quotidianum; Est bene verum, quod à moderno tempore prudenter animadversum est, erroneum esse cum ista generalitate simpliciter procedere, cum ad sint illa mobilia, quæ ad aliorum consumptibilium differentiam, solide materie dicimus, in quibus dicta præsumptio non intrat, ut advertitur in Bonon. fideic. de Bolognini 4. Februarij 1654., cum qua passim proceditur; Ideoque materia videtur potius facti quam juris prudentis iudicij arbitrio regulanda juxta huiusmodi bonorum qualitates ac distinctiones, de quibus bene cæteris relatis apud Cyriac. contr. 16., & occasione usus fructus, quando ipsæ species, vel earum pretium restitui debeat, advertitur sub tit. de servit. ad materiam usus fructus disc. 54.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE CORONIS.

P R O

P I O R D I S

C V M

PETRO PAVLO DE ROSIS.

Casus variè decisis per Rotam.

An & quando sub fideicommissio veniant prælegata facta eidem hæredi gravato, seu legata facta alijs effecta caduca, seu cadentia sub caducitate pœnali; Et de differentia inter casum caduci & casum caducitatis.

S V M M A R I V M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 Resolutiones cause.
- 3 De eiusdem cause punctis.
- 4 De questione, an prælegata cadant sub fideicommissio.
- 5 Quod ubi adsunt verba restrictiva in alijs non cadant, sed adhuc limitantur ex conjecturis.
- 6 Cadunt ubi legata sunt caduca tanquam non abdicata ab hereditate.
- 7 Legatarius post agnitionem legati habentis onus quod sit personale illud transmittit per mortem naturalem, & civilem.
- 8 De differentia inter casum caduci, & casum caducitatis.

rati.

- 9 *Quid ubi legatarius agnito legato habente annexum onus istud non adimplet, & contravenit.*
- 10 *De differentia quando onus adiciatur per viam modi, vel per viam conditionis.*
- 11 *Quod onus habitationis domus legata per necessè imporet modum, ac præcedentem acquisitionem.*
- 12 *De casu alterius controversia, & an legatum fieri possit hæredi qui sit unicus.*

D I S C. CXXXI.

Simeon Corona, quatuor habens nepotes ex Anastasio fratre, nempe Melchiorum, Martinum, Paulum, & Franciscum, iure prælegati reliquit primo filio matulo ex eodem Anastasio fratre nascituro quamdam domum cum onere fumentum ipsius testatoris nomen, & quatenus non nasceretur, eam reliquit Francisco ultimo ex dictis jam natis cum eodem onere assumendi & retinendi dictum nomen, ac domum habitandi sub pœna caducitatis ad favorem Melchioris alterius nepotis cui sine pœna caducitatis vel alio substituto idem onus quoque injunctum fuit, aliisque factis legatis & dispositionibus, in fine testamenti, juxta Urbis & Status Ecclesiastici stylum, (oppositum stylo Regni Neapolitani, in quo ante omnia præmittitur institutio hæredis tanquam caput & principium testamenti) hæredes instituit omnes præfatos quatuor nepotes cum reciproco aut respectivè descensivo perpetuo fideicommissio; Cumque alio filio ex dicto Anastasio nato, legatum apertum esset ad favorem Francisci atque tam ipse, quam Melchior sibi substitutus, prævia donatione omnium bonorum & jurium eis competentium ad favorem dicti Anastasii patris, præsertim ex causa dicti legati & fideicommissi respectivè, Religionem ingressi essent; Hinc Piordij eiusdem Anastasii creditores intenterunt immisionem ex remedio Salviani ad dictam domum, ita de dominio eorum debitoris effectam contra Petrum Paulum de Rosis ultimi fideicommissarii successorem, ac domus possessorem; Et introducta causa in Rota coram Cerro, favorabiles reportarunt resolutiones sub diebus 25. Maii 1657. & 27. Martii 1658. sub intitulatione cause, *Romana census seu Salviani, quarum prima est decis. 236. par. 12. rec.* dictaque immisione effectum sortita, præfatus de Rosis in alia instantia coram Taia, cedendo huic puncto, diversum assumpsit iudicium petitorij super declaratione, quod domus prædicta caderet sub fideicommissio universalis, stante caducitate legati ob non adimpletas condiciones tam à Francisco primo legatario, quam à Melchiore sibi substituto circa assumptionem nominis ac habitationem domus, datoque dubio, *An constaret de fideicommissio super domo.* illoque proposito sub die 23. Februarii 1660. negativa prodit resolutio; Incertum verò est, quid exinde sequutum sit in causa, cum defectis Piordis, eorumque bonis ac juribus transeuntibus ad quemdam locum pium habentem proprios Advocatos & causarum Patronum causa mutaverit defensores.

In huiusmodi disputationibus, de duobus actum fuit, præsertim verò ad hanc rem fideicommissariam; Primò actum fuit de articulo, An istud prælegatum, præsupposita eius subsistentia & delatione, caderet sub fideicommissio universalis; & secundo, an posita negativa, jam firmata in primis decisionibus coram Cerro, adhuc tamen sub eodè fideicommissio caderet ratione caducitatis ob non adimpletas condiciones. Quatenus pertinet ad primum, quidquid sit de questione in abstracto, an & quando prælegata veniant

niant sub fideicommissio in qua scribentes nimum certant, ex iis, quæ plures casus distinguendo, ad fatietatem colligit *Fufarius quest. 650.* cum aliis *apud Buratt. decis. 168.* & in decisionibus de quibus infra, & in quo verius est, hujusmodi quæstionem ita in abstracto consideratam remanere potius pabulum scholasticorum, seu academicorum, cum verius, tanquam quæstio facti, & voluntatis potius quam juris, non recipiat certam ac generalem determinationem, sed ista pendeat à facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis, verisimilem testatoris voluntatem comprobantibus, ut advertitur infra in duobus disc. proxime sequen. ; At tamen certa est regula negativa, ex fortioribus tamen præsumptionibus & conjecturis quoque limitanda, quando concurrunt verba discretiva, seu restrictionem denotantia, quia nempe dicatur in aliis bonis &c. juxta theoreticam *Bart. in l. si quis servum §. fin. ff. de leg. 2.* magis communiter receptam ex deductis per *Facchin. lib. 5. contrav. cap. 16. Theaur. jun. lib. 1. quest. 17. num. 14.* ; *Fufar. d. quest. 650. num. 24. cum seqq.* atque hanc semper tenuit *Rota, ut apud Coccin. decis. 48. num. 27.* ; *decis. 418. & 421. par. 5. recent. ; decis. 112. num. 4. par. 11.* cum aliis in hujus causæ decisionibus coram *Cerro*, cum hoc fundamento procedentibus, quoniam in hac facti specie concurrerant hæc verba restrictiva, dum ex consueto formulario Notariorum Urbis & Status Ecclesiastici (ubi ut supra legata præcedere solent, in fine autem fieri hæredis institutio) frequentius institutio concipitur cum dicta phrasi in omnibus aliis &c.

Et licet sicuti vera est regula, ita etiam vera & recepta sit limitatio ex diversâ defuncti voluntate etiam conjecturali, ut advertitur supra & infra in duobus disc. sequen., in quibus recensentur aliqua conjectura in proposito considerari solita, At tamen in hac facti specie tales non concurrerant, quod ad hanc limitationem inducendam sufficerent, cum aliqua deducta nimum leves ac generales essent, ut advertitur in decisionibus, ac agnoverunt iidem defensores istam comprehensionem prætendentes, dum convolarunt ad alium punctum comprehensionis hujus legati sub hæreditate seu fideicommissio ex capite caducitatis.

In hoc autem puncto, dicebant scribentes pro fideicommissario seu ex ejus jure veniente, quod ubi sumus in isto casu, cessat omnis quæstio, atque certa est comprehensio, etiam si concurrerent clausulæ seu verba exceptiva, ut antiquioribus relatis habetur *apud Marc. de success. p. 4. qu. 21. art. 11. nu. 30. & sequen.* ; *Surd. decis. 266.* ; ibique *Hodierna in addit. Altograd. conf. 87. nu. 24. lib. 2. Fufar. d. q. 650.* ; apud quos ad fatietatem concordantes ; Cumque in facto non dubitaretur, tam Franciscum legatarium, quam Melchior sibi substitutum deseruisse nomen testatoris ob diversum nomen in Religione assumptum, ac etiam non adimplevisse conditionem ab eo præscriptam habitandi domum, ut potè cum statu claustrali incompatibilem, hinc proinde planum esse dicebant, quod factus esset casus caducitatis ad favorem hæreditatis, & consequenter fideicommissi.

Verum cessare videbatur quæstio juris ex solo facto, dum in eo docebatur de implemento ex parte Francisci primi legatarii, donec vixit in sæculo, tam circa nomen quam circa habitationem, cumque sibi civiliter prædecessisset Melchior substitutus, qui prius Religionem professus erat, Hinc proinde quemadmodum si dictus Franciscus adimplendo

donec vixit præceptum testatoris naturaliter obferret, dubitandum non veniret de præfate domus libertate ejusque transmissibilitate ad hæredem, ubi eum in quem ipse disponere voluisset à partem dictum injunctum onus erat personale, atque ubi riorum tractum successivum non habebat, ut in præfate consimilis legati domus cum onere habebat, quod onus cesset cum persona, ideoque res transmittatur ad hæredes *ex Bald. in l. si habens de usu & habit. & Bart. in l. 4. ff. de adm. leg. apud Merl. dec. 380. & dec. 408. & in Firmiana seu bonorum 19. Junii 1669. coram Bourlemont. &c.* causa de qua infra disc. 133. ; Licet enim in dicta facti qualitate id non procedat sine difficultate, tamen conclusio in genere est vera.

Adhuc tamen ubietiam de puncto juris ageretur portuisset, dicebam scribens pro Pioris ex dicto viano possessore, ideoque in hoc puncto reatibus ubi aliqua prætendi posset contraventionem, nec tractabat conclusio, de qua supra, in qua scribentes contrarium constituebant fundamentum, illa tamen, ut pater, ex allegatis auctoritatibus, ut apud eas percutit casum caduci, non autem caducitatis, quando scilicet, vel ob legatarii præsentiam, vel ob ejusdem incapacitatem, (quæ juxta opinionem prætenditur quando est unicus hæres seu alius ob non agnitionem legatum remanere oducum ; Tunc enim pertinere dicitur ad fidem missum universale, atque sub eo comprehenditur jure reversionis vel substitutionis, sed jure reversionis, ac tanquam membrum hæreditatis, quam abscissum à suo corpore, ita habendo legatum pro infecto ; Secus autem ubi legatum non agnitionem fuit, suumque effectum sortitum est, ut propterea bona sub eo comprehendens jam abscissa sunt à corpore hæreditario, ad quod regressus opereretur jure substitutionis seu novæ restitutionis, novo ac diverso titulo ; Tunc enim nisi siquæmodi reversionis seu restitutionis pura in casu mortis, vel penali in casu contraventionis, ad hæredem hæredis universalis disponatur, id prætendi non potest, nisi saltem, legatario sperente præceptum testatoris intrare iudicis officium, quod suppletur tam penalem provisionem caducitatis quam testator neglexit juxta ea quæ habentur supra disc. 7. & aliis, atque ita dicta reversionis sequatur, ideoque magna differentia est inter casum caduci & casum caducitatis.

Non negabatur hæc distinctio per scribentes contrarium, sed quæstio erat super applicationem. An si in una vel altera præfate distinctionis partem versaremur, illis prætendentibus, quod cum assumptione nominis ac habitatio domus adfecta essent pro conditione, idcirco ista non adimpleta esse non implementum sequeretur ex culpa, intra eam, legatum non dicitur sortiri effectum, quæ bona abdicari ab hæreditate, cuius jure reversionis in substitutum universale, nimum se fundendo in hoc effectu resultantem à conditione sub qua dispositio concepta est, ut scilicet non impleta vel defecta, dispositio resolvatur, quam ab infecto, perinde ac si nunquam facta non curato, an conditionis defectus proveniret ex culpa, vel potius à casu, aut alio non culpabili impedimento, cum in hoc differant modus & conditio, quod ubi præceptum adjectum est, per viam modi, præsupponens jam à quibusdam conventionio importare dicitur penam formatam ad caducitatis ac privationi juris jam quæstio, adeoque requiritur culpa positiva, quæ delictum reatibus

Secus autem ubi per viam conditionis à parte antea, cum tunc illius defectus se opponat principio acquisitionis, ac potius impediatur jus quærendum, quam tollat jus quæsitum, juxta distinctionem, de qua infra in *Neapolitana hereditatis*, & in *Romana hereditatis de Rubicis discursu*, 154. & 155. ubi particulariter agitur de hac materia seu distinctione.

E converso ego scribens pro hac parte, admittēbam quoque veritatem hujus theoricæ in abstracto, sed negabam applicationem in concreto ad casum controversiæ. Tum quia utrumque onus, illud præsertim habitandi domum, tanquam habens tractum successivum non autem momentaneum, atque præsupponens, tam agnationem, quam acquisitionem legati, tanquam antecedens necessarium, sine quo impossibile est habitationis onus impleri, sine dubio dicendum est potius importare modum, & successivè quod contraventione importaret penam caducitatis, ut in supra infinuatis *disc.* 154. & 155. advertitur; Tum clarius quia difficultas de plano removebatur ex solo facto, dum ut dictum est, jam præcesserat legati agnitio & acquisitio, cum successivo implemento, cujus cessatio proveniebat potius ex morte civili relictante à professione in Religione reddente impossibile dictorum onerum implementum, quam à culpa & voluntaria contraventione, quæ delictum redoleret, ut ad hunc effectum requiritur; Ideoque quatenus pertinet ad hunc punctum, reflectendo etiam ad solam veritatem, iusta & probabilis visa est dicta resolutio, à qua non credo, quod recessum sit, quamvis in decisione desuper edita, ita fortè vororum qualitate exigente, non omnia hæc deducantur.

In proposito autem hujus questionis, An prælegatum veniat sub fideicommissio in una Romana de Gratii disputa coram A. C., in qua inter plures articulos in ea cadentes, ille quoque cadebat, An & qui venient sub nomine hæredum, ubi fideicommissum ordinatum est ad favorem alicujus, eiusque hæredem, de quo agitur alibi infra, cadebat quoque iste articulus comprehensionis prælegati sub fideicommissio; Cumque in ea facti specie unicus institutus esset hæres, ante cujus institutionem eidem prælegatum aliquorum bonorum in eodem testamento factum erat. Hinc dicebam Ego scribens pro Gratii præsentibus dicti legati comprehensionem sub fideicommissio universalis, quod non obstat dicta regula hujusmodi comprehensionis exclusivæ, ex eadem ratione caduci, de qua supra, ob quam bona legata dismembrari non dicuntur ab ipso corpore hereditatis, cujus magis, & quam legati jure ad fideicommissarium spectare dicuntur, deducendo casum caduci ob hæredis incapacitatem obtinendi legatum, quod de jure à seipso præstari non potest, ne detur actio & passio in eodem subjecto ad text. in l. legatum §. hæres, & l. plene sub duobus ff. de legat. 1. cum concordan. Verum reflectendo ad veritatem, advertēbam istud esse fundamentum periculosum, ut clientibus juxta stylium insinubam, quoniam dicta propositio est quidem vera de jure durante titulo hereditario, ut scilicet quoties hæres non habet cohæredem, à quo legatum assequivaleat, sit incapax obtinendi legatum à seipso ob dictam incompatibilitatem; Secus autem ubi resolutus est titulus hereditarius per jam factum casum restitutionis, cum tunc jura quæ competunt hæredi obtinenti hereditatem revocabiliter, non dicantur simpliciter ac perpetuò confundi, sed fortè temporali & causative, donec scilicet duret

titulus incompatibilis hæredis, quo cessato eadem reviviscunt potius tanquam à somno, quam tanquam à morte ex deductis per *Peregr. art.* 17. nu. 16. cum sequen. & alios, de quibus *Fusar. q.* 650. nu. 66., nimium urgente etiam superfluitate alias resultant; Et quamvis hæc opinio non careat contradictoribus ab eodem *Fusar. ubi supra* relatis, Attamen ex prudentiali regula non assumendi quæstiones difficiliore, ubi haberi possunt faciliore, insitebam super conjecturis, ex quibus videbatur deduci posse limitationem regulæ pro comprehensione prælegati sub fideicommissio, ideoque hic punctus non fuit ita examinatus, ut super eo judicium efformari poterit.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI

DE BOLOGNETTIS.

Responsum pro Veritate.

De eadem materia, An scilicet prælegata veniant sub fideicommissio universalis, & de conjecturis id suadentibus.

S Y M M A R I U M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 An bona assignata filiis per patrem in vita, censentur donata, vel solam assignata jure peculii, ad effectum, an cadant sub fideicommissio, nec ne remissivè.
- 3 De conclusione, quod testator potest supponere fideicommissio bona propria hæredis remissivè.
- 4 De ratione equalitatis servande, si bona uni hæredi prælegata, non cadunt sub fideicommissio, neque legata alteri.
- 5 Tacita pupillaris contenta sub compendiosa, non intrat in reciproca ordinata inter aetate inæquales, remissivè.
- 6 De questione, an prælegata veniant sub fideicommissio in genere, remissivè.
- 7 Quod non detur in hac materia certa regula generalis, & quomodo in ea sit procedendum.
- 8 Non est immorandum in verbis, vel ordine scriptura, sed in substantia voluntatis.
- 9 Quando præcedunt legata, & institutio fit per verba exceptiva in omnibus alijs non veniunt sub fideicommissio, sed cessat ex conjecturis.
- 10 Quod erroneum sit procedere in hac materia cum doctrinis, & decisionibus generalibus.
- 11 Consideratur, quod verba restrictiva, de quibus num. 9., non debeant esse ita operativa, quia de stylo.
- 12 Recensentur plures conjectura ex quibus prælegata veniant sub fideicommissio.
- 13 E converso recensentur conjectura contraria.
- 14 Quod in dubio pro non inclusione sub fideicommissio.
- 15 Quod in his materijs non possit dari certum, ac determinatum judicium.

D I S C. CXXXII.

Iohannes Baptista de Bolognetis, cum vivens assignasset Bartholomæo filio quædam bona, & moriens deinde eadem bona ipsi Bartholomæo, & quædam